



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Cap. V. Cultum Cordis Jesu, & cultum SS. Eucharistiæ inter se differre.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

quoquo liceat modo non cupiat, illatas injurias expiando, & quoad ejus fieri potest, honoribus adhibitis compensando? Atque illa quidem consideratione moveri fidelium animi debent, ad illam, quam Jesus exigit, violati honoris reparationem suo ipsius sacrosancto cordi exhibendam.

Et hæc hoc loco dicta sufficiant, ut cultus erga cor Jesu tota natura intelligi queat. Cætera enim, quæ definitione allata continentur, vix difficultatem habere ullam possunt: si quæ vero reliqua sit, facillime in decursu expedietur.

CAPUT V.

Cultum Cordis Jesu, & cultum Sanctissime Eucharistiæ inter se differre.

FUere, qui horum cultuum, dixere nullam esse differentiam, ideoque cultum cordis Jesu, rejiciendum censebant; tanquam si novum nomen induceretur sine re, quod frustraneum sit. Verum hæc existimatio, quantum absit a vero, ii facile judicabunt, qui ea legerint, quæ de natura cultus cordis Jesu jam præmisimus. Apparet nimirum hæc duo religionis officia maxime inter se differre: quippe quæ differant & objecto, ut vocant, materiali, seu re quæ colenda proponitur; & objecto formali, seu ratione quæ ad colendum permovet; Et denique fine, propter quem instituta sunt; atque ita ex omni prorsus capite differunt unde pius aliquis cultus ab alio

alio cultu differre potest. Quæ demonstrare facillimum est. Nam primo, objectum materiale cultus cordis Jesu, seu res quæ illo officio colenda proponitur, est cor Jesu, nulla corporis habita peculiari ratione: in cultu vero sacrosanctæ Eucharistiæ, objectum materiale est corpus Jesu, nullo vicissim cordis habito peculiari respectu. Deinde in cultu sacrosanctæ Eucharistiæ, ratio quæ movet ad colendum, est divini corporis dignitas, excellentiaque infinita: ratio vero propter quam cor Jesu colitur, præter excellentiam quam habet cum corpore communem, aliasque prærogativas ipsi speciales, de quibus dictum est; ratio inquam peculiaris, ac præcipua est amor divinus, quo cor illud sacrosanctum erga homines incensum est. Denique finis in cultu illo solemnium sacrosanctæ Eucharistiæ propositus, hic est: ut nimirum Jesu inter homines residenti debitus adhibeatur honos, gratæque dignæ pro tanto beneficio, amoreque rependantur. Huc spectant omnia ab Ecclesia in honorem tanti mysterii instituta: huc festi dies; huc solemnes supplicationes; huc templorum ornamenta. In cultu autem sacrosancti cordis Jesu finis propositus in hoc præcipue consistit, ut amor Jesu ab ingratis hominibus repudiato, faciamus satis voluntaria expiatione ad cor Jesu, hujus amoris principium, directæ; cæterisque omnis generis honoribus, quibus injuriæ amantissimo cordi inflictæ eluantur, & compensentur: quem finem nullo modo proprium esse cultui sacrosanctæ Eucharistiæ ex hoc facile intelligi potest, quod sine ejusmodi fine cultus sacrosanctæ Eucharistiæ, integer
plane

48 DE CULTU SACROSANCTI
plane subsistere potest. Nam si fingas, Jesum, nunquam
in Eucharistia ulla fuisse violatum injuria; adhuc tamen
cultus SS. Sacramenti nulla ex parte diminutus subsi-
stet: tum enim & festos dies celebrari, & solemnes sup-
plicationes institui, cæteraque quæ in usu sunt, eodem
plane modo fieri deceret, ad gratiam Jesu referendam,
nostrique amoris & grati animi publicas significatio-
nes edendas. Secus vero est de cultu cordis Jesu, qui
ideo institutus est, ut hoc sacrosanctum cor, peculiari
veneratione ac amore prosequamur; inflictasque amo-
ri illius injurias, compensemus & expiemus.

